

/ Perillust. et Reverendissimè Domine. Memoriam gratissimam ve-
 teris nostrae consuetudinis litterae Reverendissimae D. Vestrae mi-
 hi renovarunt: et quamvis profectus litterarii Amplitudinis vestrae
 praecipuae causae fuerint magnitudo ingenii, et industria, ac diligen-
 5 tia eiusdem Amplitudinis vestrae; laetor tamen meam etiam operam, ac
 laborem in docendo ad hunc ipsum profectum aliquid contulisse: ma-
 gis etiam gaudeo, quod talem collegam in pascendo grege dominico
 nactus sim, qui me ad vigiliis custodiendas, et lupos ab ovili arcen-
 dos exemplo suo non parum iuvabit. Neque enim quia D. vestra in Po-
 10 lonia, ego in Italia oves pascendas suscepimus, ideo non collegae
 dicendi sumus: episcopatus, inquit sanctus Cyprianus, unus est, ac
 per hoc et episcopi omnes unum in Christo sunt, qui princeps pasto-
 rum est, et qui per eos ministros suos unius ovilis unum pastora-
 tum gerit. Libellum doctrinae christianae brevissimum pro captu pue-
 15 rorum, et alterum paulo longiorem pro iis, qui eam docent, iussu Pon-
 tificis maximi confeci: non elegantiae, vel doctrinae ostendendae;
 sed soli brevitati, et perspicuitati deserviens. Et quoniam Reveren-
 dissimae D. vestrae longiorem deesse video; dabo operam, ut cum his
 litteris ad manus Amplitudinis vestrae perveniat. Res est levis, ac
 20 pene puerilis, tamen non inutilis, ac propterea et gallicè, et hispa-
 nicè iam legitur: quod si opera D. Vestrae Reverendissimae latinè
 quoque, et polonicè legatur; non parum illi auctoritatis accedet.
 Cupio D. Vestram Reverendissimam bene valere, in opere dominico st-
 strenuè laborare, et mei in sanctis precibus suis memorem esse. Ro-
 25 mae 1605.